5

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

# CLYSTERE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

*Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri*

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

*Amplissimi* SENATUS ACADEMICI *consensu,*

*Et nobilissimae* FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES DIAPER, ANGLO-BRITANNUS.

*——Peragit tranquilla potestas,*
*Quod violenta nequit.——* CLAUD.

Ad diem 11 Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud HAMILTON, BALFOUR, et NEILL.
M,DCC,LIV.

BRITISH MUSEUM

ILLUSTRISSIMO

# HUGONI

## COMITI DE MARCHMONT;

## VICECOMITI DE BLASSONBERRY;

BARONI DE *POLWART, REDBRAES,* ET *GREENLAW*;

Ampliſſimae Rei Politicae apud Scotos Curiae, PRAESIDI;

Ex ſedecim Satrapis, ad publica Comitia habenda delegatis, UNI; *&c.*

*SUmmae tuae, vir inſigniſſime, erga me benevolentiae memor, primitias haſce ſtudiorum grati animi teſſeram volo. Patronum, inter opuſcula dicanda, tergeminis tollere honoribus, coeloque locare, moris eſſe ſat ſcio; ſed quia*

Sumite materiem veſtris, qui ſcribitis, aequam viribus——

*utroque pollice meritò laudatur, tuas ſileo laudes. Valeas, diuque populo laetus interſis, faxit Deus Opt. Maximus.*

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE CLYSTERE.

SUMMOS in medicina honores ambiens, de Clyſmatibus verba facere, nec indignum, nec abs re fore, exiſtimavi.

CUJUSLIBET liquoris per anum injectio Κλυσμα vel Κλυσηρ dicitur, a Κλυζω, Ενεμα ab Ενιημι, vel *Lotio*, a *Lavando*; quo vocabulo CELSUS ſaepius gaudet.

DE hujus operationis origine nil certi proditum eſt. Ægyptiis autem, apud PLINIUM *, aſcribitur; qui obſervantes avem quandam, *Ibin* dictam, vel humoribus plus aequo collectis, vel ventre pigro laborantem, inteſtina ſua (roſtro in anum immiſſo) marina perluere aquâ, in enemata inciderunt. Sed, ex hacce fabella anili, clyſmatum originem,

A

* Lib. viii. cap. 27.

ginem, PLINIUM, aeque ac hodiernos, latuiſſe liquet. Forſit ipſa cum medicina prope invaluit. HIPPOCRATES, caeterique antiquiſſimi medicinae ſcriptores, clyſmata plurimi faciunt. Sed nonnullos ex hiſce auctoribus locos prolaturus, ubi de uſu clyſterum in morbis acutis mox differam, nihil eſt, quod nunc temporis in iis morer.

QUONIAM vero in inteſtina craſſiora ſtatim abeunt clyſmata, ibique plurimos ſuos edunt effectus; ſitum eorum ſtructuramque leviter attingere, operae pretium erit.

PAULO ſupra os dextrum innominatum, et infra ejuſdem lateris renem, terminatur inteſtinum ileum. Plurimi auctores anatomici (praeparationibus ſiccis, ut dicuntur, forte nimium confiſi) valvulam inſignem, membranaceam, coli dictam, inteſtini orificium operientem, depingunt: ſed toto errant coelo; ileum enim, tranſverſe, vel paulo ſurſum tendens, et inter coli fibras muſculares disjunctas receptum, in ejus cavum hiat; tunicae vero utriuſque inteſtini internae, conjunctae, annulum formant, craſſum ſatis, prominentem, pylorum omnino referentem, niſi quod actione fibrarum

coli

coli muſcularium compreſſus, rimae longae, tranſverſae, internè, inſtar ani, rugoſae, formam induat. Ex utroque hujus rimae fine oritur plica inſignis, craſſa, ex interna inteſtini ſuperficie eminens, et per longum ſatis ſpatium decurrens; plicae hae a MORGAGNIO * fraenula valvulae coli dicuntur.

AB orificii hujus parte inferiore pendet ſaccus ille capax, rotundus, caput coli, vel caecum dictus, in cujus ſiniſtram partem, prope fundum, appendicula vermiformis mucum evomit: a ſuperiore vero, colon ante renem dextrum aſcendens, et ei annexum, hepar attingit, et ſub fellis veſicula tranſiens, flavedine biliosâ plerumque inquinatur; poſtea, primae inteſtini duodeni flexurae adjungitur; et exinde, prope magnam ventriculi curvaturam decurrens et in hypochondrio ſiniſtro retrorſum tendens, lieni alligatur; hinc iterum deſcendit, et cum renis ſiniſtra facie anteriore quoque connectitur; flexurâ ſua deinde ſigmoideâ, in hypogaſtrio ſiniſtro, factâ, ante quartam circiter lumborum vertebram, in rectum deſinit. Rectum vero inteſtinum primo retrorſum paulo ad oſſis ſacri cavum vergens,

* Adverſ. anat. 3.

vergens, et deinde antrorſum prope coccygem deſcendens, ad anum terminatur.

Propagine meſenterii, meſocolo dictâ, vertebris lumborum annectitur colon; ſuperficies ejus externa, tribus faſciis latis, fortibus, externe ex fibris tendinoſis et ligamentoſis, interne vero muſculoſis, conſtantibus, diſtinguitur; harum actione inteſtinum (cujus longitudinem minime aequant) in ſaccos, quaſi plicis alternis a ſe invicem diviſos, contrahitur, qui cellulae dicuntur coli; plicae vero in ſuperficie interna prominentes, a valvulis conniventibus inteſtinorum tenuium haud abludunt; ſed ex omnibus conjunctis inteſtini tunicis formantur. Faſciae hae, ab appendicula vermiformi oriundae, per totum colon decurrunt, et ubique ſupra rectum expanſae, tunicam muſculoſam, longitudinalem, craſſam ei impertiuntur.

Tunicae inteſtinorum craſſiorum et tenuium nullo modo inter ſe diſcrepant. Extima a meſenterio continuata, tenuiſſimae telae cellularis interventu, duplici annectitur muſculari; cujus, in colo, fibrae longitudinales in tria iſta ligamenta colliguntur,

tur, circulares vero ſunt validae. Tres iſtae tunicae a pleriſque auctoribus inter muſcularem et villoſam depictae, vaſculoſa ſcilicet, nervoſa, et glanduloſa, ſi inverſum infletur inteſtinum, in unam telam celluloſam craſſam abire videntur; quam perrepunt vaſa ſanguifera ferè innumera, et in qua glandulae mucum ſecernentes (ſi revera adſint) locantur. Intima quoque tunica villoſa, ſic inflato inteſtino, amiſſis villis, penitus glabra, ſplendens, et polita evadit. Cel. Profeſſor noſter * anatomicus, tunicam hancce idem cum epidermide eſſe, luculentiſſimè demonſtravit; quae per totam tubam alimentarem, ab ore ad anum uſque, decurrens, ut minus, vel acribus ingeſtis, vel aëre elaſtico, ei proximè applicato, laedatur, efficit.

ARTERIAS ab utraque meſenterica accipiunt inteſtina craſſa; vaſcula minuta ex his arteriis producuntur, et tunicam perforantia villoſam, liquorem tenuem, limpidum, effundunt, ad internam ſuperficiem inteſtini irrorandam, et faeces emolliendas;

* Med. Eſſays, vol. 4.

liendas; in eadem quoque tunica, orificia innumera venoſa patent, a quibus ſubtiliſſima fluida intus perpetuò reſorbentur, et ad venae portarum ſinum, una cum ſanguine ex arteriis redeunte, devecta ſunt.

PHYSIOLOGICI fere omnes ſibi perſuaſum habuerunt, inteſtina haec craſſa receptaculi vice ſolum fungi, ubi reliquiae alimenti faeculentae, et ad uſum ineptae, donec anus eliminet, commorantur; nec ab eis quidquam praeter lympham iſtam, a venulis meſeraicis abſorptam, in ſanguinem deferri voluerunt. Colon vero, per totum ſuum decurſum, vaſis lacteis (etſi non adeo numeroſis, ac inteſtina tenuia) inſtrui, haud multo ante inventum eſt; vaſa haecce ab * HALLERO aliiſque deſcribuntur, et inter canes diſſecandos, (praecipue ſi morituris clyſma e lacte recente adhibeatur) apertiſſimè cernuntur; † WINSLOWUS quoque in colo humano, coram Academiae Regiae Pariſianae Sociis, ea demonſtravit. Praeterea, ſaepiſſimè apud auctores

* Primil. phyſiol.

† Expoſit. anatom. du corp. humain.

auctores memoriae traditur, aegros ſolo clyſmatum uſu diu vixiſſe. Sic * GARENGEOT de foemina quadam agit, quae, deglutitionis facultate penitus amiſſâ, dies quatuordecim, clyſteribus nutritiis injectis, ſuſtentabatur. Fertur quoque, † HILDANO teſte, matronam nobilem, octavum circiter a conceptu menſem, febre acuta decubuiſſe, quae revaleſcens nec cibi, nec potûs quicquam in ventriculum admittere potuit: clyſmate autem, ex jure caponum ovorumque vitellis parato, indies injecto, vitam non ſolum ſuſtinuit, ſed ſine alio quovis nutrimento, menſibus exactis, filiolam ſanam, et vegetam in lucem edidit. Se monialem quamdam noviſſe aſſerit § RAMAZZINI, quae, vinorum uſui plus aequo dedita, pharyngis, vel oeſophagi paralyſi correpta fuit, et deglutiendi prorſus incapax per dies ſexaginta ſex, liquoribus nutritiis (jure ſcilicet carnium ſimilibuſque) in anum injectis, vitae ſubſidium ſibi expedivit.

Ex hacce hiſtoria, vaſa lactea inteſtinis craſſis non deeſſe, haud temerè (ut mihi

* Operation chirurgique ann. 1691, § 21.

† Obſ. chirurg. cent. 4. obſ. 30.

§ Hiſtor. conſtitut. urban.

mihi videtur) decrevit auctor; chylus enim a vasis lacteis resorptus, priusquam venam adventat subclaviam, maximâ lymphae copiâ diluitur, glandularum mesentericarum actione subigitur, et postea, sensim torrenti quasi refluentis sanguinis infunditur. Si igitur succus ille nutritius, ex alimentis extractus, adeo a natura elaboretur, necesse sit, priusquam sanguini venoso, ad cor mox redituro, admisceatur; minimè aptus videtur, a venis meseraicis resorptus, et ad hepar sine ulla quavis praeparatione delatus, ad circulationem visceris hujus statim perficiendam, ubi ab humoribus lentè progredientibus, obstructionum causae saepissimè oriuntur. Etsi porro venularum harum orificia, lympham, humoresque tenuiores admittant, fluida tamen, quae ad vitam sustinendam, solidaque, vitâ ipsâ detrita, renovanda, sufficiunt, ex particulis adeo crassis, magnisque conflari, ut per tenues istas fistulas transmitti nequeant, admodum verisimile est. Oculatissimus ille * Leuwenhoekius chylum microscopio subjiciens, globulos sanguini rubro

* Vol. 1 epist. 1.

bro aequales vel etiam majores conſpicatus eſt; venulae vero reſorbentes certe ita ſe habent, ut eas ſanguinis rubri vel guttulam accipere nefas ſit. LOWERUS *, canis vivi thorace aperto, ductum perfregit thoracicum, adeo ut ſanguini chylus penitus deficeret; canis vero poſtea, etſi lautiſſimè paſtus, ſenſim macreſcebat, et, aliquot elapſis diebus, lento cecidit maraſmo. Ex hocce experimento, venas meſeraicas (horum ſaltem animalium) non tantum reſorbere, quantum vita poſtulat, liquido patet.

AN vero liquores, per anum injectos, ultra coli caput in tenuia inteſtina propellere liceat, adhuc ſub judice eſt. Quamvis apud auctores practicos miſerorum exempla ſint, volvulo laborantium, qui et faeces, et clyſmata adhibita per os ejecerunt. Plures hujuſmodi narrationes † SENNERTUS memorat; et apud § HILDANUM trium fit mentio, qui, in hunc morbum delapſi, enemata quaedam immiſſa, quod ad quantitatem, et qualitatem parum mutata, ſucceſſivè evomuere. Immo ‡ MATHAEUS



* De corde, pag. 226—237.

† Med. pract. lib iii. pars 2. § 2. cap. 1.

§ Obſerv. chirurg. cent. 69. obſ. 70.

‡ Vid. RIVERIUS lib. ix. cap. 2. pag. 153.

de Gradibus, puellam quamdam, volvulo correptam, tria ſuppoſitoria in anum inducta (quorum duo corpori fortiter alligabantur) ore brevi emiſiſſe, aſſerit: huic vero hiſtoriae mirabili credat Judaeus. Ex partibus anatomiae ſubjectis, nihil eſſe conſtat, quo minus clyſmata tenuia inteſtina ingrediantur. Non multo enim magis valvula (ut dicitur) coli illis enemata, quam pylorus ſtomacho bilem, intercludit. Certiſſimis nihilominus experimentis compertum habemus, quòd, etſi, tubo in ileum inteſtinum immiſſo, colon inflare ex facili poſſimus, aërem tamen ex eolo in ileum adigere quam rariſſimè licet: ſubita forſan ſacci coli magni diſtentione froenula Morgagnii a ſe invicem adeo diſtrahuntur, ut rimae intermediae latera ſibi mutuo applicata orificium ejus penitus obturent: re ita ſe habente, licet aër tranſitu prohibeatur; ſi tamen larga ſatis liquoris copia ſenſim et lente colo infundatur, pars ejus aliqua forſan in inteſtina tenuia delabi poteſt. Ter in canis vivi inteſtinum rectum aquam infudit celeberrimus * Hales, et bis

* Hamaſtat. exp. 25.

bis ad pylorum uſque penetravit; ſed quia orificium, quo in coli cavum horum animalium ileum patet, longe ab humano diſcrepat, ex hoc experimento nil pro certo habendum eſt. Hominum inſuper inteſtina craſſa, adeo magna et capacia ſunt; et liquoris copia, unde enemata conflantur, tam parva, ut, nihilo etiam obſtante, coli caput (niſi motu periſtaltico inverſo) vix ei tranſgrediendum ſit.

Etiamsi inteſtinorum craſſiorum fines clyſmata nunquam tranſeant, quia tamen eadem iis eſt ſtructura, quae inteſtinis tenuibus, et ventriculo, et vaſis lacteis inſtruuntur; quodvis fere medicamentum per anum injectum eoſdem, ſed debiliores, dare effectus, ac ſi in ventriculum admittatur (excepto quòd cum bile et ſucco gaſtrico et pancreatico non commiſceatur) a priore colligi poteſt. Quia paucis adhuc in morbis invaluit enematum uſus, experientia ad hoc dogma confirmandum minùs pollet; non tamen deſunt practicorum obſervationes, unde ſummam ſaltem probabilitatem ſibi conciliat. Ægyptios clyſterem e marjoranae decocto, et oleo laurino, in-

ter

ter arcana in quartanis habere; et nonnullos hacce injectione, ter ſolum repetita, ad ſanitatem reductos ſe vidiſſe, * PROSPER ALPINUS memorat. † HERCULES SAXONIA quoſdam hypochondriacos, prope conclamatos, clyſmatum uſu amarorum antihyſtericorum revaluiſſe, affirmat. Febres intermittentes cortice peruviano, per anum injecto, profligandas eſſe vult ‡ HELVETIUS; et apud § ALBRECHT quinque aegri hac ratione ſanati ſunt. In ‖ EPHEMERIDIBUS GERMANICIS exemplum extat delirii, a decocto ſeminis hyoſcyami injecto, orti. Opium clyſteribus immiſtum, ſomnum, et vini ſpiritus ebrietatem inducit: ſic quoque cathartica alvum cient; immo (uti volunt nonnulli) emetica vomitiones concitant. Hoc affirmat ** AVICENNA: et †† JAMESIUS maniaco cuidam, ventrem quam maxime aſtricto, qui medicamenta omnia pertinaciter reſpuerat, mellis helleborati unciam,

* Med. method. lib. vi. cap. 3.

† Praxis med. lib. i. cap. 16.

‡ Tractat. de curat. intermittent. ſine internis inhibitis.

§ Miſcell. natur. curioſ. dec. 3. ann. 3. obſ. 12.

‖ Decur. 3. ann. 9. 10. pag. 178. in appendice.

** Can. med. lib. i. § 4. cap. 17.

†† Med. diction. art. enema.

ciam, ſub clyſmatis forma, injecit, unde fortiter evomuit; quod poſtea eodem cum ſucceſſu repetitum fuit. * SENNERTUS quoque vitri antimonii grana tria ſuppoſitorio immiſcuit, quae non ſolum, ut alvum aeger dejiceret, ſed et ventriculum bis vomitu exoneraret, effecere. Exemplis vero his allatis forſan objicietur, ab actione ſola medicamenti in inteſtinorum tunicas hos effectus emanare: ſed nonnunquam ineſt ſua gratia clyſmati, ubi a pharmaco in ſanguinem reſorpto, et ibi vires exerente, auxilium ſolummodo pendet. Unicum ſufficiet adduxiſſe teſtem. † Celeberrimus Profeſſor noſter anatomicus in gangraenis, ulceribus mali moris, et variolis malignis, cortice peruviano (quem ob inſignem ejus amaritiem, vel aliam quamlibet cauſam, per os accipere aegri noluerunt) ſub clyſmatis forma ex voluntate uſus eſt: et hacce quidem ratione, faecibus lotione laxante prius eductis, quidlibet fere medicamenti in corpus commode inducere licet.

VIRIUM igitur varietate, medicamentis e quibus conflantur (et ex omnibus fere pharmacis

* Med. pract. lib. i. pars 2. cap. 23,

† Med. eſſays vol. v. pag. 8.

macis fieri poſſunt) non cedunt enemata. Sed de omnium uſu et effectibus agere, ab inſtituta mea brevitate alienum, neque quidem hujus loci eſt; de materia enim medica, potius quam clyſmatibus, talis procederet diſſertatio. Quoniam vero in morbis acutis eorum praecipue verſatur uſus, et emollientia (ſcilicet quae liquores nullo ſaltem inſigni ſtimulo gaudentes in ſe admittunt) etſi omnium ſimpliciſſima, hiſce in morbis a caeteris palmam longe praeripiunt, et omnes edunt enematum effectus, qui a medicamento injecto non pendent: ad eorum igitur uſum in hujuſcemodi ſolis morbis tractandum me accingam.

1mo, In febre inflammatoria ardente, corde ocius ſe contrahente, et ſanguinis velocitate aucta; humores citato rapti curſu altius elaborantur, et in acrimoniam magis vergunt alcalinam; ex aucto quoque ad vaſorum latera attritu intenditur calor, quo fluidorum tenuiſſima diſſipantur, reliqua vero inſpiſſata, condenſata; per arteriarum fines (pulmonum praecipue et encephali) aegre tranſeunt: hinc difficilis fit reſpiratio,

et

et functiones vitales, naturales, et animales, pluſve, minuſve, perturbantur.

In hoc corporis ſtatu, ſi craſſa inteſtina faecibus inferciantur, quid, quaeſo, ſperandum? Reliqua viſcera abdominalia, mole ſua auctâ, in minus compriment ſpatium; compreſſa vero officiis ſuis rite fungi, et ſanguinem per vaſa expedire, nequeunt; non ſine magno molimine contrahitur diaphragma, et reſpirationi liberae augentur obſtacula; inteſtina quoque, ſic faecibus turgida, et aortae arteriiſque iliacis incumbentia, ſanguinem eas percurrentem impediunt; qui majore copiâ in caput caeteraſque ſuperiores corporis partes, nimis antea diſtenſas, adigetur, donec tandem delirio, comati, caro, vel et ipſi apoplexiae forſan ſuccumbat aeger.

Tot tantiſque malis hocce in morbo, ſola ſua mole, et pondere, anſam prebent faeces accumulatae: praeterea vero in inteſtinis paulo diutius retentae a calore loci putredinem peſſimamque ducunt acrimoniam; internam inteſtini ſuperficiem perpetua irritatione hinc vexantes, febrim augent, et tormina, ſpaſmoſque dolentiſſimos excitant.

Particulae

Particulae quoque earum tenuiſſimae, fluidiſſimae, in ſanguinem prae ſubtilitate continuo abreptae, putrido humores miaſmate inquinant. Ex fonte tam pravo, quaenam clades non fluere poſſit! ingraveſcunt peſſima ſymptomata; naſcuntur alia nova; et febris in initio inflammatoria, maligna evadit, et lethalis. Quum vero in hujuſmodi febribus ſemper minuantur ſecretiones tenuiores, minor humoris, emolliendis faecibus inſervientis, copia in inteſtini cavum depluit; fluidiſſimis igitur ſic aſſiduè reſorptis, reliquiae in duram, craſſam, ſiccam coëunt glebam, quae ibi haeret immobilis, donec, inter morandum acerrima evadens, inteſtinum adeo ſtimulet, ut natura, hoſtem expellere ſummopere nixa, diarrhoeam excitet, quae interdum non ſolum faeces, ſed et miſerum ipſum, fractis jam morbo viribus, è medio tollit.

Plura etiam mala ab eadem cauſa provenire forſan poſſunt; ſed neceſſitatem alvum ſolvendi, et inteſtina craſſa exonerandi, ſupradicta ſatis monſtrant. Cathartica ore hauſta, vel clyſmata injecta, hoc efficiunt: prioribus vero in morbis hiſce non bene

bene creditur; pro viribus enim ſtimulo ſuo (et cathartica non poſſunt non ſtimulare) ventriculum et inteſtina irritant, febrimque intendunt: nam ſi ſaniſſimo homini medicamentum miniſtretur purgans, durante pharmaci actione, ſitis major, velocior pulſus et febricula ſupervenient: praeterea, horum uſu non ſolum faeces eliminantur, ſet et liquoris in inteſtina ſecreti augetur copia, quo ſanguis, antea nimis denſus, fluidiſſimis ſuis orbatur partibus, et magis inſpiſſatur. Finitâ quoque cathartici operatione, alvus (uti obſervavit DE GRAAF *) plerumque tardior fit, et fortiore, quam antea, conſtipatione laborat aeger. Neque quidem propoſito noſtro (craſſa inteſtina nempe evacuandi), aeque ac enemata, inſerviunt; in ventriculum enim et inteſtina tenuia ſolummodo agunt, nec craſſa, niſi enervatis viribus, attingunt; unde non medicamenti actione, ſed liquoris ſuperne eliciti transfluente rivo, eluuntur faeces. Clyſteres contrà emollientes (nam de his ſolum hic dicendum eſt) in craſſa inteſtina immediate appulſi, faeces emolliendo, diluendo, in-



* De clyſteribus.

teſtinum humido tepore relaxando, ejuſque parietes lubricando, alvum leniter ſolicitant, nec minima cum moleſtia corpus exonerant; nullo etenim ſtimulo pollentes, nec tormina, ſpaſmoſve excitare, nec febrem augere, nec humores inquilinos in inteſtina derivare, nec quicquid, faecibus exceptis, eliminare valent. Eximios ſimplicis hujus actionis effectus pulchrè confirmat experientia; horrenda enim iſta jam recitata ſymptomata, intra horam poſt talem injectionem, vel multum diminuta, vel et prorſus debellata, haud raro videre licet; ſuccurritur aegro, caput ejus ſublevatur, abit delirium, libera fit reſpiratio, pulſus ſedatur, et anxias multorum dierum vigilias perpeſſum blandus ſaepe excipit ſopor.—Per totum morbi decurſum, lotione ſubinde ſic alvum ſubducamus, oportet: febricitantes quidem vix ullo alimento ſolido veſcuntur, et inde, uno alterove enemate injecto, iis ulterius uti vix opus eſſe videretur; faecibus jam ſatis purgatis, nec novis accedentibus. Bilis vero, ſuccus pancreaticus, caeterique humores gaſtrici et inteſtinales, ſecerni pergunt, et in tubi alimentaris cavum nunquam non depluunt:

pluunt: horum partes faeculentae, et ad corpus iterum ineundum ineptae, (taleſque adeſſe particulas, ex meconio, quo recens natorum colon et rectum ſemper inferciuntur, patet) in craſſa inteſtina ſenſim delabuntur, ibique congeſtae commorantur: his quoque reliquiae fluidorum, quae bibunt aegri, ſuperveniunt; nullibi enim liquor eſt (aquâ ſolum exceptâ) corpori humano adeo amicus, ut totus in ſanguinem abeat: ex hiſce igitur cauſis etſi vix tantâ copiâ colligantur faeces, ut vel mole, vel pondere, multum noceant, è bile tamen, caeteriſque humoribus inquilinis ut plurimum conſtantes, quam citiſſime putreſcere incipient, et niſi brevi eliminentur, acrimoniam, peſſima ſymptomata inducturam, acquirent.

In febribus hiſce, diſſipatis humorum fluidiſſimis, vel minuuntur vel nullae ſunt ſecretiones tenuiores; areſcit cutis, et fauces, internaque ora tenui iſto naturali rore orbata, viſcidâ tenacique cruſtâ obducuntur; ventriculi et inteſtinorum ſtructurâ, à faucibus non diſcrepante, ea quoque eodem affici modo, par eſt. Cruſtam igitur hanc morâ quoque putreſcentem, quamprimum abluamus,

amus, neceſſe eſt. Potus aquoſi tepidi repetitis vicibus hauſti copia ventriculum et inteſtina ſuperiora liberare fortaſſe poſſit; nunquam tamen in craſſa pertinget inteſtina; morbo enim reſorptionis vi aucto, a lacteis veniſque abſorbentibus prorſus abripietur. Clyſmata vero blandè ſaponacea votis optimè reſpondent; cruſtam enim hanc ſordidam feliciſſimè abluunt, et inteſtinum ſimul foventia, humorum per vaſa ejus minima circuitum promovent, febrimque ex parte minuunt.

Liquoribus emollientibus ſic in anum injectis, alvum ſubducere, faeceſque eliminare, medicis antiquiſſimis viſum fuit.

*Hippocrates in libro ſuo de ratione victus in morbis acutis, de febribus, una cum ventris pigritia, agens, ſi faeces in craſſis inteſtinis collectas eſſe certis indiciis conſtet, vel clyſma immitti, vel glandem ſupponi, pro aegri viribus, jubet. Urinâ quoque ſub febris initium tenui redditâ, cathartica prohibentur, et enemate ſolo utendum eſt. Si dolor, tumor, vel inaequalitas praecordiis ſit; ſi latus cum tuſſicula doleat,

* Sect 4. p. 386——400.

leat, vel tormina ventri adſint; alvum clyſteribus ſolvamus quam maxime oportet. In angina, ſi ſanguine effuſius miſſo debilis evadat aeger, enema tertio quoque die injiciatur. * Sic quoque, ab initio ad quartum quintumve peripneumoniae diem, alvus per clyſmata fiat laxior; ſin vires deficiant, ita ſolum exhibenda ſunt, ut neque hinc ſputus cohibeatur, nec illinc febris in pejus ruat.

† ARETAEUS CAPPADOX, inter acutos morbos curandos, ut faeces lotione emolliente, ſcilicet malva, faenugraeco, ſimilibusque, ſubducantur, fere ſemper ſuadet.

‡ ASCLEPIADES, (teſtante CELSO) tametſi in febribus a catharticis prorſus abhorruit, enemata tamen multum prodeſſe cenſuit; et, de eorum uſu differens, ne uno alterove plura injiciamus, cavendum eſſe ait " nec; ante diem tertium, alvum " duci, nec ulla cruditate ſubſtante, nec in " corpore infirmo, diuque in adverſa vale- " tudine exhauſto, nec in eo, cui ſatis " alvus reddit quotidie, quive eam liquidam

* De morbis, lib. III. §. 6. p. 463.

† De curat. morb. acut. lib. I. cap. I.

‡ Celſus, lib. II. cap. XII. lib. III. cap. IV.

" dam habet, nec in ipſo acceſſionis im-
" petu, quia quod tum infuſum eſt, alvo
" continetur, regeſtumque in caput multo
" gravius periculum efficit." Regulas quoque nonnullas, ad comparandaet immittenda clyſmata ſpectantes, ſubnectit.

* Celsus hiſce in praeceptis Aſclepiadi aſſenſus eſt; ſed vel cathartica aſſumpta, vel enemata immiſſa, ad febrim debellandam, raro eſſe efficacia ſe credere ſubjicit.

Ex ſententiis jam allatis conſtare videtur, illos medicinae patres, eoſdem, ſed mitiores, effectus, a clyſmate emolliente injecto, quam ab hauſto cathartico, ſperaſſe. Si igitur alvum ſubducere neceſſe eſſet, et ad aegri debilitatem, vel quodvis aliud, cathartica male quadrarent; eorum vice enemata fungebantur: et eadem de cauſa, vel aegro multum confecto, vel morbo ad criſin appropinquante, enematum etiam uſum, ne evacuatione febrim nimis minuerent, vel naturae ſalutari molimini obſtarent, omnino noluêre. Sed nil erat, quod hoc metuerent; nil etenim clyſteres emollientes praeter faeces ſubtrahunt; immo non ſolum corpus

* Locis prius citatis.

pus humoribus ſuis non ſpoliant, ſed ad febrim debellandam, contrario prorſus effectu, optumè faciunt. Sanguis nimium condenſatus, inſpiſſatus, ipſo eſt pro morbo; praemiſſa igitur debita evacuatione, ſanguinem hunc diluere, aptumque ad ramos aortae arteriaeque pulmonalis minutiſſimos tranſeundos reddere, et febrim tollere, juxta habeo. Huic vero indicationi ſummè reſpondent enemata aquoſa; eorum enim ope quamlibet liquoris copiam cum humoribus commiſcere licet; nam ſi injiciatur aquae tepidae libra, interdum ne vel guttula, ſed plerumque paucae ſolum unciae per anum redeunt; reliquae vero, vel a venis meſeraicis, vel vaſis lacteis reſorptae, in ſanguinem illico devehuntur. Si ſic ſe res habeat, non eſt ut aegrum enemata haec inſigniter debilitent; et accedenti, vel inſtanti criſi favere potius, quam obſtare, videntur: ac procul dubio, cum tuto iis uti liceat, utpote quae faeces alvinas, ſordeſque inteſtinorum placidè educant, et ad morbum ſanandum adeo faciant; ſaepius quam moris eſt, hiſce in febribus ea adhibere, operae pretium erit.

PRAETER

Praeter aquam, in rerum natura diluens non reperitur; ex ea igitur enematum jam laudatorum basis necessario constat. Libram, vel etiam majorem aquae tepidae copiam, per se injici, medici celeberrimi haud raro jussêre; sed sanguis noster in morbis inflammatoriis, phlogistico peccans lentore, aquae purae miscelam respuit, et vix ea dilui potest: etsi enim larga ingurgitetur copia, nil boni plerumque praestat, sed brevi e corpore iterum per renes, vix mutata, ejicitur. Medici, hanc ob causam, liquores blanda, saponacea, antiseptica vi pollentes aegris summa cum prudentia potandos semper exhibent: ex iisdem quoque clysmata certe comparanda sunt; sic enim non solum sanguinem felicius diluunt, sed ad tunicam villosam lubricandam, ejusque sordes abluendas, aptiora redduntur. Hujusmodi sunt cerealium, et herbarum, seminumque emollientium decocta; amygdalarum dulcium emulsiones; succus fructuum horaeorum aquâ probe dilutus; hydrogala, lactis serum, et similia. Hydromel vero, uti mihi videtur, caeteris jure praeponitur; mel enim est sapo vegetabilis, blandus, acescens,

cens, attenuans; et ut oleoſa fere omnia, vel etiam reſinoſa, ſi probe conteras, aquae miſceantur, efficit: in ſanguinem igitur reſorptum, quod per aquam facile fit, lentorem ejus phlogiſticum diſſolvit, liquore diluente eum intime miſcet, et inſigni vi antiſeptica humorum putredinem, vel acrimoniam alcaleſcentem penitus avertit. Nonnulli quidem, ob idioſyncraſiam, minimâ mellis aſſumptâ copiâ, diarrhoea, torminibuſque corripiuntur; ſed, ut apud cel. * HUXHAMUM, perpauci ſunt; et a † cocto et deſpumato melle tales effectus fere ſemper abſunt. A ſalibus neutralibus attenuantibus, ſpiritu ſcilicet Mindereri, tartaro regenerato, ſolubili et ſimilibus, clyſteribus hiſce commiſtis, aliquid boni forſan expectandum erit.

2do, MORBI iſti acuti, quibus pars ſolummodo corporis inflammatione afficitur, et quod ad naturam, et medendi rationem, cum febribus inflammatoriis prorſus congruunt: clyſmata igitur haec injecta, illis, ac his, aeque proderunt: interdum alia etiam auxilia miniſtrabunt.



* De febribus pag. 200.

† Vid. CHEYNE Engliſh malady pag. 292.

In ea anginae inflammatoriae ſpecie, quâ morbus, vel in pharynge, vel in muſculis deglutitioni inſervientibus, ſedem ſuam collocavit; ſi vel fluidiſſima per oeſophagum demittere conetur aeger, contractione muſculorum quaſi convulſiva, intolerabilis excitatur dolor, et inflammatio augetur; ventriculo quoque inflammato, adeo irritabilis fit tunica ejus interior, ut liquores blandiſſimi ingeſti vomitu periculoſiſſimo iterum citò rejiciantur: in his, aeque ac in aliis morbis inflammatoriis, ſanguinem diluamus, neceſſe eſt; ſed in utroque caſu, potum, debita ſaltem copia, aſſumere aegri omnino nequeunt; ad clyſmata igitur deſcripta decurrendum eſt; quae ſanguini humorem diluentem, et, ſi paulo fiant meraciora, corpori quoque nutrimentum blandum ſuppeditant.

Quantum boni in inflammationibus fotus emollientes, ad partem applicati dolentem, afferant, nemini non notum eſt: fibras tenſas humido lenique calore relaxantes, dolorem leniunt; et ſaepe, ſi parva et recens ſit obſtructio, vaſa minuta adeo dilatabilia reddunt, ut ſanguinis a tergo arietantis

tis impulſu, per ea materies impacta adigi, morbuſque penitus ſolvi, poſſit. Colon vero et rectum, decurſu ſuo, ventriculum, hepar, lienem, pancreas, renem utrumque, omentum, in foeminis uterum, et in viris veſicam urinariam attingunt, inteſtina quoque tenuia, et meſenterium fere circumeunt: inflammatis igitur hisce viſceribus, vel etiam peritonoeo aut diaphragmatis parte, clyſteres hi injecti non ſolum ſolitos ſuos edunt effectus, ſed, inſtar fotûs vel potius veſicae aquâ tepidâ plenae, ipſi parti affectae impoſiti, agentes, morbo adhuc magis inimici evadunt. Et alia quoque ratione, in hepatitide juvant; omne enim, qualecunque ſit, ex inteſtinorum cavo a venis meſeraicis reſorptum ad hepar illico pervenit; ope igitur horum clyſmatum, et particulae faeculentae acres, a venarum oſculis abiguntur, et liquoris blandè reſolventis copia inſignis ad ipſam inflammationis ſedem, recto tramite, devehitur. Sic minuitur ſuppurationis periculum, cui, ob teneram ejus adeoque friabilem ſtructuram, viſcus hoc, prae aliis, ſubjicitur, ex qua ſemel orta, mala plurima, ſanatu ſemper difficillima, originem ducunt.

3tio, In nullo autem morbo clyſmata haec emollientia felicius, quam in variolis, rem gerunt; morbus hicce a primordio, donec abſoluta ſit puſtularum ſuppuratio, febris eſt plane inflammatoria ſui generis, quae parvulis abſceſſibus, in cute formatis, ſemper judicatur; idem igitur a clyſteribus auxilium in hac, quod in aliis febribus inflammatoriis, expectare licet. Immo majori videntur eſſe uſui, quia varioloſi, ex opio vel diacodii ſyrupo aſſumpto, alvo plerumque ſtrictiore laborant. Auctores vero multi nominis, quibus ipſe celeberrimus * Sydenhamus conſentit, enema poſt primas puſtulas injici omnino vetant, ne materiei morboſae ab exterioribus, ad interiores nobilioreſque corporis partes, revulſio ejus actione inducatur. Si clyſma quidem ſit catharticum vel ſtimulans (quo plerumque uſus fuit Sydenhamus), metuendum eſt; ſin emolliens, nequaquam: vel enim a ſtimulo irritante, vel humorum evacuatione, omnis revulſio pendet; nec verò inteſtina irritant clyſteres laudati, nec corporis humores educunt, ſed liquorem e contrario blandum, antiſepticum, quo nil ſuppurationi

* De variolis ann. 1667—68.

ſuppurationi amicius, ſanguini ſuppeditantes, puſtulas feliciſſime maturant. Sed quid plura? ut alia medicamenta, ita liquor diluens in craſſa inteſtina injectus, idem, quod in ventriculum admiſſus, valet: eſtne igitur, cur a potu diluente revulſionem ſuſpicemur? minime; nec magis quidem a clyſmate emolliente. Sed ut faecibus inteſtina ſtimulentur, ne nimis deficiat febris, interdum oportere forſan objicietur; ſi tamen ſtimulo revera opus ſit, cardiaca multa, ſtercoris putridi effluviis, certiora nobilioraque, naturae languenti, materia medica praebet.

TAM morbillis caeteriſque febribus inflammatoriis exanthematicis, quam huic variolorum ſtadio, clyſmata, pari jure, conveniunt.

PERFECTA ſuppuratione, tenuiſſimae puris partes venulas, quae in puſtularum cavum hiant, intrantes, ſanguini admiſcentur, et febrim iſtam vere putridam, quae variolas ſemper claudit, excitant. Particulae hae in pulmones, ſtatim poſt reſorptionem, adactae, ejuſque vaſa minutiſſima non expedite tranſeuntes, haerent; unde peripneumonia

ripneumonia maligna, ſaepe lethalis, oritur. Dum in hoc loci res eſt, quodcunque vel febrim ſtimulo intendit, vel acri miaſmate humores inquinat, vel liberae reſpirationi obſtat, morbo vim addere ſponte patet. Faecum igitur congeſtio, utpote quae peſſima ſecum adfert, prorſus eſt vitanda; praecipue quum his, non modo puſtularum in primis viis, ſi adſint, exuviae, ſed et materiei purulentae pars, naturae niſu, in inteſtinorum cavum expulſa, accedant. Clyſteres emollientes ſubinde repetiti non ſolum congeſtionem hancce praecavent, ſed reſorpti (praeſertim ſi acida quaelibet antiſeptica, ventrem minus ſtimulantia, iis pro re immiſceantur) putreſcentem ſanguinis quam maximè corrigunt indolem. Catharticis verò in hoc morbi ſtadio, etſi a nonnullis laudantur, periculum ſubeſt: primas vias quidem probe eluunt, non ſolum vero humorum fluidiſſima ſimul eliminant, ſed, febri quoque actione eorum auctâ, vis reſorptionis et puris in ſanguinem delati copia pari jure adaugentur. Profligato morbo, et reſorptionis metu ſummoto, ad reliquias e corpore depellendas meritò adhibentur; ſed, febri adhuc

huc vigente, nocere potius quam prodeſſe videntur.

De uſu enematum emollientium in febre hac putrida varioloſa, ſupradicta ad alias quaslibet febres putridas et petechiales ſpectant; immo et in ipſa peſte ſatis forſan valerent.

4to, Etsi febres lentae nervoſae et morbi inflammatorii jam memorati longe diverſa ſint, et diverſam ſibi expetant medelam; non tamen in his enemata emollientia nihili ſunt. Mente fere ſemper labefactata, morboque haud raro ad putridam vergente indolem, faeces in inteſtinis coacervatas aegris eſſe incommodo planè conſtat: ſanguis quoque viſcoſitate quadam et lentore, etſi non phlogiſtico, procul dubio peccans dilutionem poſcit; ſed cum delirantes potum quemlibet pertinaciter ſaepe reſpuant, vice ejus clyſteres injecti ſoli non poſſunt non fungi. Interea, quia in hacce febre pulſus parvus, debiliſque eſt, et natura ad hoſtem ſuum expugnandum ferè inepta videtur; pluris forſan eſſet, cum clyſteribus medicamenta iſta, cardiaca dicta, commiſcere, quae vim vitae excitant, firmant, et inteſtina

inteſtina quoque irritantia a capite revulſionem, deliriique lenimen conciliare poſſunt; ſed quia de his nihil uſu compertum habeo, nihil pro certo dicere auſim.

Liquoris copiam ſimplici vice injiciendam pro re nata variare, medici eſt. Si vel faeces alvinas expurgare, vel ſordes inteſtinorum abluere in animo ſit, majore liquidi copia, (lb. 1. ſcilicet, vel lb. 1. ſs,) et citius et certius res tranſigitur; ſin clyſteribus retinendis ſanguinem diluere velimus, minor (e. g. un. viii. x. vel xii.) votis melius ſuccedit: liquore enim multo ſimul injecto, etſi omnis ſtimuli expers ſit, inteſtina tamen ejus mole irritantur, et certa fere deſidendi cupido oritur; aut ſi forte fortuna totus reſorbeatur, vaſis ſanguiferis hinc ſubito nimium repletis, e corpore iterum per renes, vel cutem, vix mutatus mox expelletur. Parva e contrario copia ab aegro vix ſentitur, facillimèque retinetur, et ſubinde repetita, vaſa humoreſque rivo influente non obruit, ſed leni et conſtante transfluxu, ut venae abſorbentes ſemper pateant, et ſanguis aequabiliter diluatur, efficit.

FINIS.

MVSEVM BRITAN NICVM